



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 16. Epistola Papæ ad Soldanum Iconiensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

Sæcul. XII. Festo S. Michaelis, vigesima nona Septembris, anno millesimo centesimo sexagesimo nono, consecrarunt.

§. XVI.

*Epistola Papæ ad Soldanum
Iconiensem.*

p. 431. edit. 1107. Matthæus Paris. an. 1169. Alex. ep. 32. Inter opera Petri Blesensis occurrit quædam Institutio in Fide Christiana, Soldano Iconiensi inscripta, nomine Papæ Alexandri II. concinnata, quæ ab aliquo Scriptore sequentis Sæculi ad hunc annum millesimum centesimum sexagesimum nonum refertur. In ea autem Pontifex ita loquitur: *Ex literis tuis & Nunciorum tuorum fideli sermone cognovimus, quod ad Christum converti in votis habeas, cumque jam receperis Pentateuchum Moysis, Prophetiam Isaia & Jeremiæ, Pauli etiam Epistolas atque Joannis Evangelium & Matthæi, postulas tibi mitti virum, per quem quasi vice nostra Legem Christi plenius edocearis. Nobis autem, ut petitioni tuæ, quæ gratissima accidit, assentiamur, curæ erit ad te viros mittere, quorum Doctrina & mores ad viam & veritatem Evangelicam te deducant. Quoniam etiam nostræ Fidei compendium literis tibi aperiri rogas, illud tibi ut desideras tradimus.* Sequitur Institutio scripta de duobus Mysteriis

steriis Sanctæ Trinitatis & Incarnationis, additis Testimoniis non solum ex illis, quos Soldanus habebat, sed etiam ex omnibus S. Scripturæ Libris, confirmata. Verum certa non invenimus argumenta, hunc Summi Pontificis conatum congruum fructum fuisse secutum.

Sæcul. XII.
A.C. 1169.

§. XVII.

Mandata ad Archiepiscopum Rotomagensem, & Episcopum Nivernensem missa.

Postquam Vivianus Nuncius Romam rediisset, Alexander Papa plenissime edoctus, quæ inter Regem Angliæ & Archiepiscopum Cantuariensem, in primis in Colloquio Montis Martyrum acta fuerant, intellexit, hunc Principem metu Censurarum Ecclesiasticarum ad implenda promissa sua esse compellendum. Quare, novis mandatis ad Rotruvium Archiepiscopum Rotomagensem & Bernardum Episcopum Nivernensem missis, 5. ep. 3. ambobus præcipit; intra mensem post acceptam hanc Epistolam ad Regem simul irent, monerentque, ut Archiepiscopo pacem, & plenam securitatem concederet, ad osculum reciperet, tam ipsi quam ipsius Familiaribus & amicis omnia Bona restitueret, & Præsulem ad Ecclesiam suam redire permetteret. His subiungit